



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Duplici conclusione veritas catholica stabilitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

139. **Obijcies ultimò:** Infusio gratiæ non sufficit ad remissionem peccati, sed ad hunc effectum præterea requiritur specialis ac novus favor Dei, condonantis injuriam sibi per peccatum illatam: Ergo cum possit Deus suum illum favorem specialem continere, utpote à libera sua voluntate dependentem, & gratiam solis suis naturis viribus resistam infundere, potest etiam efficere, quòd gratia peccatum habituale ab anima non expellat, sed simul cum ea existat. Consequentia patet. Antecedens verò probatur. Quod est bonitatis finitæ, nequit vi suâ expellere malitiam infinitam: Sed bonitas gratiæ est finitæ, & malitia peccati mortalis infinita saltem secundum quid: Ergo gratia nequit ex vi propria, & ex sua efficacia, & valore intrinseco, destruere peccatum habituale, seu illud ab anima expellere, sed ad hoc, præter infusionem gratiæ, requiritur specialis ac novus favor Dei condonantis injuriam sibi per peccatum illatam.

140. **Confirmatur:** Potest Deus de potentia absoluta hominem in gratia existentem non accipere ad vitam æternam, & e contra existentem in peccato mortali, ad æternam gloriam accipere: Ergo & efficere quòd idem homo sit simul in gratia, & in peccato mortali.

141. **Respondeo negando Antecedens:** Cum enim gratia habitualis, & peccatum habituale, opponantur privative, necessariò in ipsa gratia & charitatis infusione includitur voluntas divina remittendi peccatum, ac proinde non est necessarius alius favor, vel alia condonatio ad remissionem peccati, præter infusionem gratiæ; maxime quia gratia ex se præcisè sufficientem habet efficacitatem ad constituendum hominem filium Dei adoptivum, atque adeò ad tribuendum illi jus ad gloriam tanquam hæreditatem, quòd stare non potest cum peccato mortali non remisso. Gratia item, cum sit participatio divinæ naturæ & sanctitatis, ex se præcisè sanctificat, ac proinde removet peccatum; sanctitas enim est puritas & mundities à peccato. Ad probationem autem in contrarium, distinguo Majorem: Quod est bonitatis finitæ, nequit expellere malitiam infinitam, per modum satisfactionis, concedo Majorem. Per modum formæ incompossibilis cum ipso peccato, qualis est gratia habitualis, nego Majorem.

142. **Addunt aliqui,** quòd sicut peccatum, ut est offensa Dei, habet malitiam secundum quid infinitam, quatenus offendit personam infinitæ dignitatis; ita gratia habitualis gaudet bonitate & perfectione infinita secundum quid, quia est participatio formalis naturæ divinæ, etiam formaliter & reduplicative ut infinita est, & actus purus, habetque totam essendi plenitudinem, subindeque ex infinita malitia peccati non rectè inferri, ad remissionem seu expulsionem peccati habitualis, præter infusionem gratiæ, requiri favorem extrinsecum Dei condonantis injuriam sibi illatam; cum malitia secundum quid infinita, quæ in peccato reperitur, destrui possit per bonitatem & perfectionem infinitam secundum quid, quæ convenit gratiæ sanctificanti. Sed de hoc in Tractatu de incarnatione dicemus.

143. **Ad confirmationem,** concessã primâ partem Antecedentis, negatur Consequentia: ut enim idem homo esset simul in gratia & peccato mortali, oporteret quòd esset simul intrinseco dignus gloria, ratione gratiæ, & intrinseco illâ indignus, ratione peccati: licet autem possit Deus,

A utendo suâ potentia absoluta, hominem in gratia existentem, extrinseco, & non attendendo ad jus quòd habet ad gloriam, eum non acceptare ad illam, non tamen efficere, quamdiu remanet in statu gratiæ, quòd sit intrinseco gloria indignus.

B Quamvis verò ad secundam partem Antecedentis, dico quòd licet existentem in peccato mortali possit Deus acceptare ad gloriam, pro tempore futuro, quando erit in gratia (hoc enim modo peccatorem prædestinatum accipit ad gloriam) non tamen pro tempore presentis, in quo supponitur habere peccatum mortale, & casere gratiâ habituali: cum enim visio beatifica sit actus perfectè vitalis, vitalitate supernaturali, supponit necessariò in homine principium radicale vitæ supernaturalis, quòd est gratia & sine illa nequit elici; sicut nec intellectio sine principio radicali vitæ intellectualis, quòd est anima rationalis.

ARTICULUS VI.

An & quæ fides requiratur ad justificationem adulti, & utrum illa sola ad eam sufficiat?

O Stendimus in Tractatu de gratia ad gratiam justificandam aliquas requiri dispositiones: unde solum hic restat examinandum, quanam illa sint, seu qui actus ad justificationem adulti, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis sint necessarii? Hic solum agemus de actu fidei, qui se tenet ex parte intellectus, & articulo sequenti alios actus ex parte voluntatis requisitos exponemus.

Duo verò circa necessitatem fidei sunt hæreticorum errores, omninò oppositi. Primus est Manichæorum, qui teste Augustino, libro de utilitate credendi, omnem necessitatem fidei abstulerunt, existimantes nihil omninò esse credendum, sed duntaxat assentiendum his quæ ratione naturali evidenter persuaderi possunt.

D In quem errorem incidit Petrus Abailardus, teste D. Bernardo Epist. 190. Secundus e contra solum motum fidei sufficere ad justificationem adulti existimat. Hæc fuit hæresis exorta temporibus Apostolorum, ut refert Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. contra quam suas epistolas canonicas Petrus & Jacobus scripserunt, eamque nostris temporibus Lutherus, & Calvinus, eorumque sequaces suscitaverunt. Sed in eo dissentit Lutherus à Calvino, quòd Lutherus vult fidem illam, quâ justificamur, non esse aliud quam firmam fiduciam, quâ peccator confidit ob merita Christi sibi peccata non imputari, unde eam ponit in voluntate: Calvinus vero talem fidem collocat in intellectu, & dicit esse actum quo certò credimus, ob Christi merita, omnia peccata nobis esse remissa, & quo veluti manu apprehendimus & trahimus ad nos ipsam justitiam Christi, & nostram, saltem imputativè, facimus.

§ I.

Duplici conclusione veritas Catholica stabilitur.

Dico primò, fidem requiri ad justificationem adulti. 145.

Probatur primò ex Scriptura: dicitur enim ad Hebræos 10. *Sine fide impossibile est placere Deo* & Max.

& Marci ultimo: *Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sed illud, sine quo impossibile est placere Deo, & fuisse quo homo condemnatur, est necessarium ad justificationem: Ergo ad illam fides requiritur.

146. Probatur secundo ex Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem requisitas primo numeratur actus fidei, his verbis: *Disponuntur (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, & credentes vera esse que divinitus revelata & promissa sunt.* Et cap. 8. ait: *Fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, juxta illud Augustini serm. 2. Domus Dei fide fundatur, spe erigitur, charitate perficitur.*

147. Probatur tertio conclusio ratione D. Thomæ hic art. 4. Ad justificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo mens hominis avertatur à peccato, & convertatur ad Deum: Sed primus accessus ad Deum fit per cognitionem fidei, juxta illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere:* Ergo ad justificationem adulti requiritur actus fidei.

148. Confirmatur: Cum voluntas sit potentia cœca, & indigeat lucē & directione intellectus, impossibile est eam converti in Deum ut supernaturalē sine precedenti actu intellectus, quo Deum ut finem supernaturalē cognoscat: Sed hic actus est actus fidei, ut patet: Ergo fides ad justificationem adulti requiritur.

149. Dico secundo: Fides quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia quæ credimus seu confidimus peccata nostra nobis esse remissa.

Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sess. 6. can. 12. his verbis: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil esse quàm fiduciam divine misericordie, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solā esse quā justificamur, anathema sit.*

Eadem veritas colligitur ex Scriptura: Cum enim Apostolus ad Hebræos 11. dixisset: *Iustus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit anime mee,* statim in eodem capite definit fidem (sine dubio illam ex qua dixerat iustum vivere) & dicit eam esse *sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium:* Sed hæc non possunt verificari de fiducia, quæ credimus seu confidimus peccata nostra nobis esse remissa, sed solum de fide, quæ est prima virtus theologica: Ergo, &c. Probatur Minor: Tum quia primum fundamentum & basis spei nostræ, & totius vitæ spiritualis, est firma adhæsiō intellectus ad mysteria revelata; hæc enim sublatā, nulla manet certa ratio sperandi in voluntate: Tum etiam quia argumentum, hoc est manifestatio, & quasi convictio eorum quæ in evidentiā sunt, est actus intellectus, & non voluntatis. Addo quod fiducia est potius defectus ostensionis, quàm ipsa ostensio: hoc enim ipso quod cetero nobis aliquid ostenditur, de eo fiduciam concipimus; unde ad Ephes. 3. dicitur: *In quo (scilicet Christo) habemus fiduciam per fidem:* ubi Hieronymus ait fiduciam & accessus ad Deum primum principium & originem esse credere in Christum.

150. Dico tertio: Fidei justificantis objectum non est solum Dei misericordia, vel promissio remissionis peccatorum, sed omnia mysteria nobis à Deo revelata.

Probatur ex Scriptura sacra, in qua ponitur aliud fidei justificantis objectum, quàm divina misericordia, vel promissio remissionis peccato-

rum. Nam ad Rom. 10. sic habetur: *Noc est verum fidei quod predicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod Deus suscitavit illum, salvus eris.* Ubi Christus, & ejus resurrectione, ponuntur inter objecta fidei justificantis. Et Marci ultimo Christus dixit Apostolis: *Predicete Evangelium omni creatura, &c. Qui crediderit salvus erit.* Et 1. ad Corinth. 15. Apostolus ait: *Notum vobis facio fratres Evangelium quod predicavi vobis, quod accepistis, & per quod salvamini.* Item in Symbolo Athanasii, recensitis omnibus mysteriis fidei, sic concluditur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Denique Tridentinum loco supra citato explicans modum præparationis ad gratiam, sic ait: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse que divinitus revelata & promissa sunt.* Ergo fidei justificantis objectum, non est solum Dei misericordia, vel promissio remissionis peccatorum, sed omnia mysteria nobis à Deo revelata.

Advertendum tamen est, ad justificationem non esse necessariū quod omnia mysteria & objecta fidei eodem modo credantur. Nam quædam solum credenda sunt necessitate præcepti, quia scilicet quamvis absque eorum fide justificari possit homo, postquam tamen à Deo revelata sunt, præceptum est ea discere & credere, ut descensum Christi ad inferos, perpetuam Dei Genitricis virginitatem, &c. Alia necessariò credenda non sunt, sed sufficit eis non dissentire, ut historia Davidis, vel Tobie. Alia demùm sunt credenda necessariò necessitate medii, quia eorum fides medium est necessarium ad justificationem: & hæc à D. Thoma 2. 2. qu. 1. art. 8. reducuntur ad duo capita, nempe ad finem quod beati sumus, qui est Deus prout in se est, qui appellatur finis supernaturalis; & ad media per quæ finē illū consequimur, quæ sunt gratia justificans, & causa ejus. In primo continetur Trinitatis mysterium, cuius visione beatificamur: in secundo mysterium Incarnationis, quæ est causa nostræ justificationis, & fons ac origo gratiæ justificantis, & omnium donorum supernaturalium. De quo plura dicemus in Tractatu de fide.

Dico ultimo, solum fidei non sufficere ad justificationem, sed præter ipsam requiri pios aliquos motus in voluntate.

Hæc etiam conclusio est de fide, & definita in Tridentino sess. 6. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit solā fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum sue voluntatis motu preparari atque disponi, anathema sit.* Et cap. 6. præter fidem alios enumerat actus ad voluntatem pertinentes, quos ad justificationem disponere asserit, nimirum timorem, spem, dilectionem, & penitentiam; de quibus articulo sequenti dicemus. Item D. Jacobus in sua epistola aperte declarat solum fidem ad justificationem & salutem non sufficere, ait enim cap. 2. *Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?* Et subdit: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et tandem concludit: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Quæ testimonia adeo expressa & perspicua sunt, ut hæretici coacti sint negare epistolam illam esse canonicam: cuius oppo-

Dist. 150.

oppositum definit Tridentinum sess. 4. de credero A
de canonicis Scripturis.

Accedunt etiam SS. Patrum testimonia, præ-
sertim Augustini & Bernardi: ille enim ferm.
27. hæc scribit: Attende ad ipsum fidei nomen: si-
des enim appellata est, quia sit quod dicitur: due syl-
labe sonant, eadem dicitur fides. prima syllaba à factio, se-
cunda à dictio. Interrogo te utrum credas? dicitis, credo:
fac quod dicitis, & fides est. D. verò Bernardus hæc
verba Cantuarum, Recti diligunt te, exponens,
sic ait: Quid fidem tuam ab actu dividit? fidem perimis
tuam, fides enim sine operibus mortua est. Munus mor-
tuum offert. Quæ hostia pacifica, ubi tanta discordia?
Non Deum placas, sed offendis, discors tibi. Nec mirum
si Calvinus fratrem suum in surrexerit, qui fidem prius
occiderat suam: fidei occidit, priusquam fraticida. Fi-
dem ergo tuam animes dilectio, probet actio.

Potest etiam suaderi conclusio congruè rati-
one: Homo per voluntatem suam averfus est
à Deo cum peccavit: Ergo ut remittatur ei pec-
catum, debet ad ipsum converti per actum volun-
tatis; & per consequens non sufficit actus fidei.

Confirmatur: Voluntas per peccatum fuit
præcipue laicata: Ergo congruum est, ut illa
per aliquos actus sibi proprios moveatur ad ju-
stificationem, quæ est illius sanitas.

Confirmatur amplius: Deus unumquemque
moveri juxta modum suæ naturæ accommoda-
tum: nam ut dicitur Sap. 7. Disponit omnia suavi-
ter: Atqui modus homini consentaneus est, ut
per intellectum & voluntatem operetur; cum
hæc duæ facultates ad naturam rationalem per-
tineant: Ergo congruum est, ut Deus moveat
hominem ad justificationem, mediante utraque
facultate, ipsumque ad eam disponat, non solum
per actum fidei, qui pertinet ad intellectum, sed
etiam per timorem, spem, contritionem, & di-
lectionem, quæ sunt actus à voluntate elicitæ.

§. II.

Exponuntur quedam Scripturæ loca quæ
objiciuntur ab hæreticis.

Contra hanc conclusionem objiciunt hære-
tici plura Scripturæ testimonia, in quibus
homo dicitur justificari per fidem, vel justifica-
tio soli fidei tribuitur: Actor. 13. In hoc omnis qui
credidit justificatur. Ad Rom. 13. Arbitramur justificari
hominem per fidem. Et cap. 4. Reparata est fides A-
bramæ ad justitiam. Et ad Galat. 4. Ex fide justificat
Genes Deus. Unde Lutherus, teste Rosenii art.
36. ait: Fingenda sunt omnia, quæ de præparatione
liberi arbitrii ad gratiam tot libro tractata sunt.

Sed ad hæc, & similia Scripturæ loca, triplex
potest adhiberi responsio, seu interpretatio. Pri-
mo dici potest, justificationem tribui fidei tan-
quam initio & radici, non excludendo tamen a-
lia opera ad eam disponentia. Ita Tridentinum
sess. 6. cap. 8. ubi sic ait: Cum Apostolus dicit justifi-
cari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelli-
genda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice con-
sensus tenuit & expressit: ut scilicet per fidem ideo
justificari dicamur, quia fides est humana salutis ini-
tium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine
quæ impossibile est placere Deo, & ad gloriam ejus con-
fortium pervenire.

Secundo responderi potest, illa intelligi de fi-
de viva, quæ involvit ipsam formam justifican-
tem, nempe gratiam & charitatem. Cui solutio-
ni favet Paulus ad Galat. 5. dicens: In Christo
lesu neque circumcisio aliquid valet, neque præpu-

Formæ IV.

rium, sed fides quæ per charitatem operatur. Unde
Hieronymus, exponens verba supra relata ejus-
dem Apostoli ad Rom. 3. Arbitramur justificari
hominem per fidem, ait: Abutuntur quidam hoc loco
ad destructionem operum justitiae, solam fidem posse
sufficere affirmantes: cum tamen alibi dicat Apo-
stolus: si habuero omnem fidem, ita ut montes transfe-
ram, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro-
dest.

Tertia solutio est, quod justificamur per fi-
dem, id est, per ea quæ in doctrina Evangelica
continentur, faciædo scilicet omnia, quæ juxta
doctrinam Evangelicam ad justificationem re-
quiruntur; inter quæ, præter fidem, numeran-
tur plures actus voluntatis, timoris scilicet, spei,
dilectionis, & penitentia, ut patebit articulo
sequenti.

Instant hæretici: Apostolus variis in locis as-
serit quod sola fides sine operibus justificat: Ad
Rom. 3. Arbitramur hominem justificari sine operibus
legis. Ad Ephes. 2. Gratia estis salvati per fidem, non
ex operibus. Ad Galat. 2. Scientes quoniam non ju-
stificatur homo ex operibus legis. Ergo hæc inter-
pretatio non est legitima.

Sed facile responderetur, quod quando Apo-
stolus allert hominem non justificari ex operi-
bus, per hoc non intendit excludere actus super-
naturales, quibus à peccato recedimus, & in
Deum tendimus, sed duntaxat observantiam
ceremoniarum & Sacramentorum veteris le-
gis: quia cum per mortem Christi ipsa lex verus
antiquata & abolita sit, ejus observatio non po-
test prodesse ad salutem & justificationem. Un-
de Paulus non dicit absolute hominem justifi-
cari sine operibus, sed addit, sine operibus legis.

Quod si interdum absolute dicat hominem
salvari, vel justificari sine operibus, per hoc ex-
cludit solum opera meritoria justificationis,
non verò ad illam disponentia; vel opera facta
solâ virtute liberi arbitrii, sine gratia, ut sic os-
tendat justificationem fieri gratis, & non ex
merito operum ipsam præcedentium.

ARTICULUS VII.

Verum ad justificationem adulti requirantur
actus formales & expressi spei, penitentia,
& dilectionis, vel sufficientes impliciti
& virtuales?

Suppono primò, actum spei ad justificationem
requiri. Pater hæc suppositio primò ex Tri-
dentino sess. 14. cap. 4. ubi dicitur contritionem,
quæ omni tempore fuit necessaria ad impetran-
dam veniam peccatorum post Baptismum com-
missorum, præparare ad justificationem, si con-
juncta sit cum fiducia divinæ misericordie. Et postea
cum loquitur de attritione, dicit, quod lex-
cludat voluntatem peccandi, cum spe venia, di-
sponit ad gratiam in Sacramento impetran-
dam. Secundo colligitur ex Scriptura: dicitur
enim Marci 10. Confide fili, remittuntur tibi pecca-
ta tua: & ad Rom. 8. Spe salvi facti sumus. Tertiò
ratione suadet: Cum enim remissio peccato-
rum non sit bonum humanum, sed divinum, & à
solo Deo sperandum, non potest homo conari
ad illud obtinendum, nisi speret se illud obten-
turum, juxta illud Ambrosij lib. 1. penit. cap. 1.
Nemo potest agere penitentiam, nisi qui speraverit in-
dulgen-

V 2

hanc in dicitur
vehementi